Quelle: https://manuscripta.at/?ID=236
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



inimicor tuor. Tecum principium in die virtutis tue in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. Iurauit dominus et non penitebit eum: tu es sacerdos in eternum secundum ordinem melchisedech. Dominus a dextris tuis confregit in die ire sue reges. Iudicabit in nacionibus implebit ruinas conquassabit capita in terra multorum. De torrente in via bibet propterea exaltabit caput. An. Dixit dominus domino meo. An. fidelia omnia. Psalm. Confitebor tibi domine in toto corde meo in consilio iustorum et congregacione. Magna opera domini exquisita in omnes voluntates eius. Confessio et magnificencia opus eius et iustitia eius manet in seculum seculi. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator dominus escam dedit timentibus se. Memor erit in seculum testamenti sui: virtutem operum suorum annunciabit populo suo. Ut det illis hereditatem gencium. Opera manuum eius veritas et iudicium. Fidelia omnia mandata eius: confirmata in seculum seculi. Facta in veritate et equitate. Redemcionem misit dominus populo suo. Mandauit in eternum testamentum suum. Sanctum et terribile nomen eius: initium sapientie timor domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Laudacio eius manet in seculum seculi. An. fidelia omnia mandata eius confirmata in seculi